



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

Prologvs Operis De Gloria Et Honore Filii Hominis, Svper Matthaevm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

# PROLOGVS OPERIS

DE GLORIA ET HONORE FILII HOMI-  
NIS, SVPER MATTHAEVM.



XIGIS A' ME, O PHILOCHRISTE  
CVNO, uenerabilis quondā Abbas cœnobij Sigeburgen-  
sis, nunc autem præsul ecclesiæ Ratisponensis, nouū con-  
dere opus De gloria & honore filij hominis, constituti su-  
per opera manuum patris, siue sedentis ad dexteram maie-  
statis in excelsis, ut omnia subijciantur ei, & huiusce operis  
ædificium construere super euangelij fundamentum, euan-  
gelij secundum Matthæum. O quàm optabile mihi est, &  
tibi esse dicis, ut quoniã nouissimum, te monitore & penè  
præceptore, nuper ædidi opus de uictoria uerbi dei, scribe-  
re nunc merear digne, de gloria & honore (ut iam dictum  
est) filij hominis; propter spem repositam in ueritate eiusdē

dei & hominis, dicentis, ex uerbis tuis iustificaberis. ¶ Tute scis, q̄ impatienter hæctenus te  
hoc exigentem audiverim, q̄ asper & penè intractabilis econtra fuerim. Vnde hoc: Videli-  
cet ex multis causis, Multis nanq; modis me non minus q̄ te angustat cura domus domini,  
quæ credita est mihi. Præterea non facile est homini peccatori os suum aperire & attrahe-  
re spiritum: cum hoc sit illorum duntaxat, qui desiderāt mandata domini. Adde quod ipse  
nostrū quod audisti & uidisti, quia scripta mea sic pleriq; legunt, ut insidientur mihi: unde &  
contingit eis illud, quod hic idem filius hominis glorificandus & honorandus dixit: Si autē  
oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosū erit. ¶ Poteram ego iam hic in  
capite sermonis, illi, quem bene nosti, respondere iuxta quod meruit: qui, quoniam non sim  
plurimū oculo legit, ambulauit in tenebris, & ita offendit, ut semetipsum non solum inuidum,  
uerumetiam demonstraret satis imperitū, Maledictis, quæ in me concitauit, non iniustū  
elogiū scripto redderetur, sed mihi uindicta, & ego retribuam, dicit dominus. Cum Semei  
filius Gera, filij Iemini, maledictione pessima malediceret Dauid, mittens lapides aduersus  
eum, terramq; spargens, dimittite eum (ait Dauid) ut maledicat, si forte respiciat dominus  
afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. ¶ Dixi causas,  
quæ beneuolum circa scripturas sacras perturbant animum. Sic turbæ præcedentes atq; se-  
quentes, uolentem Iesum quis esset, & currentem ad uidendum impediabant Zachæum,  
statura pusillum. Sic pharisæi murmurabant, propter quod diuertisset Iesus ad hunc ipsum  
salarium apostolum & euangelistam Matthæum, id est donatum: At ille perseverans, ma-  
gnū fecit ei conuiuium in domo sua. Similiter quisquis de supernis spiritali donatus est  
gratia, perseverantiam habens inter turbas curarum, inter detractiones inuidorum, currere  
debet ad uidendum Iesum, ad contemplandum saluatorem suum, ut in domo pectoris sui  
suscipiat eum, faciatq; illi, si plus non potest, saltem boni ac fidelis sermonis conuiuium:  
quia sermo bonus super datum optimum. Igitur assit ipse qui hunc hominem  
publicanum uidit, & uidendo apostolū atq; euangelistam fecit, & tunc  
demum quod exigit, nihilq; esse optabile sensit, conabor assequi,  
proposita spe supernæ consolationis.

Heb. 11

Matth. 12.  
Exactor op̄is  
Cuno.

Psal. 115

Matth. 6  
Vindicta deo  
cōmittenda.

Deut. 32.  
Rom. 12  
2. Reg. 16.

Exemplū Za-  
chæi & Mat-  
thæi.  
Luc. 19  
Matth. 9

Gal. 3

Rom. 12

1. Cor. 13  
1. Tim. 4  
1. Pet. 3